

kat.komp.
17596
I | Mag. St. Dr. | P

et Martinus

Paczoski Pauli: Malagma in funere duorum Juvenum Petri et Martini Trzebienciorum.

PANEG. et VITAE
Polon. 4°
№ 1029.

MALAGMA,

IN FVNERE DVORVM IVVENVM

Illustrium & Generosorum Dominorum

PETRI ET MARTINI TRZEBIENSCIORVM,

Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini

D. ALEXANDRI TRZEBIENSKI

EPISCOPI PRÆMISLIEN: VICECANCELLARII REGNI
Abbatiæ Andreouien: perpetui Administratoris
FILIORVM longè desideratissimorum,

À

P. Fr. PAVLO PACZOSKI S. Ord. Cistercien. Conuen.
Andreouien. Professo, Artium & Philosophiæ Doctore
Posthumæ memoriæ officiosè


EXHIBITVM.

Jn Ecclesia Coenobij Andreouien: Anno à partu
Virginis 1643. Die 14. Julij.

CRACOVIÆ, Typis STANISLAI BERTVTOWIC.

13.n.

In pullatum Stemma.






17596 I

Crux pietatis opes, Martis solea arma tuetur,
Hoc vtrumq; decus, Frater vterq; tulit.
Hinc Petro Martinus ait, moriamur vterq;
Hæc solea est mortis, Crux erit alma salus.
Mortuus est & vterq;; tamen meliore, superstes
Summis pro meritis, conditione viget.

Fr. Nicolaus Zabierowski Conuent: Andreou:
S. O. Cister: Professus Phil: Auditor.



Jllustrißimo ac Reuerendißimo Domino

D. ALEXANDRO TRZEBIENSKI

EPISCOPO PRÆMISLIENSI

Viceeancellario Regni Abbatiæ Andreouien: perpetuo Administratori

Domino & Mæcenati amplißimo.


QVI omnium nostrum pectora perfodit acerrimè, Te inprimis prægrandi vulnere afflixit dolor Jllustriß. ac Reueren: Domine. Nã in summa calamitate, eÿcere ex animo omnẽ penitus tristitiã, infestisq; casibus nõ condolere, humanitatis non est, sed rigidæ potius immanitatis argumentum. Quis verò est, tàm emotæ mentis homo, qui ob insperatum & immaturum duorum simul Tuorum Filiorum obitum, non ingemiscat? quis ab alto profunda nõ euibret corde suspiria? Cum enim æquam mortalitatis legẽ, ante aliquot annos expleuisset, Conxiux Tua desideratissima, generis claritudine, omniq; virtutum lumine Jllustrissima Heroina, relictâ tamen tã beatâ prole, duobus nimirũ Filÿs, ac Filiabus, poterat Te etiã absens, in illa orbitate solari: nisi Tu Jllustr. Domine prudentissimo & optimo consilio, reliqua omnia humana solatia postponere viderêris, cum ad sacrã vitæ conformationem, tanquã ad certissimũ solatiorũ asylum, properasti, inq; Diuino præsidio, Tuas omnes spes, & opes defixisti. At verò nunc, in hac tantâ lubricæ vitæ conflictatione, à quo tandem recipies medelã? quis animo Tuo medebitur ægerrimo? Filios enim Tuos, de quibus summa quæq; conceperas, & in quibus spem vnicã senectutis, Familiæ decus, amicorũ solatiũ reposueras, repetito vulnere orbitatis amisisti. O nimium fluxa vota mortalium! cum iam clarissima optimæ indo-

mæ indo-

mæ indolis specimina dedissent, exteras nationes iteratò adÿssent, subitò è conspectu omnium erepti, funestam luctu Familiam, Patriamq; fecerunt. Sed fatalis ista fuit quâ subitò Fratres oppressi sunt necessitas, quæ non solùm Filios obsequentissimos è conspectu Tuo subduxit, sed etiam tempestiuè Tuam insignem patientiã excoxit igne tribulationis, vt non minùs prudentia in prosperis quam fortitudo Tua in aduersis spectaretur. Quare officiosiùs priuatæ quoq; meæ lachrymæ erumpunt in publicum luctum, præficâ gloriâ; dum tumulo hæreditaria TRZEBIENIANÆ Gentis virtus negat includi, altior sepulchrali monumento, & immani fortior Libitina. Quo audaciùs animum ad lucubrationem induxi meũ, vt vel nõ satis paratus in funeris pompã, vt pote in nostri Coenobÿ Andreou. Ecclesiâ, in qua depositũ nobilissimũ, pignora tua carissima deponi iussisti, prodirem, acerbissimoq; vulneri leniendo, dolori sanando, malagma pro ingenÿ tenuitate conficerẽ. Fateor non inesse mihi eã doctrinã & dicendi vsum, vt Illustriũ Filiorũ Tuorũ virtutibus par esse possit; sed cũ auro & precioso apparatu careã, nonne vel scypho aquæ ex præterlabenti flumine haustæ gratitudinem animi mei sanctissimis animabus eorũ ostendere debeo? Grate verò mentis significatio à me cliente Tuo iure suo exposcebat, vt hanc lugubrem Orationẽ non quidẽ sublimi ingenio Tuo dignam, sed cultus & obseruantiæ in Te meæ pignus J. C. Tuæ submissè consecrarem & dedicarem. Nam si me prouida in tanto mæmore defecerit eloquentia, saltem partes suas tueatur qui maximus pullato in syrmate loquitur dolor: & pietatis affectum, æternùm TRZEBIENSCIANO nomini, addictissimi promoueat clientis.

Illustriss. & Reuerendiss. Celsit. Tuæ
æternùm deuotus ac humillimus

cliens & exorator
Fr. PAVLVS PACZOSKI Conuen. Andreou.
S. Ord. Cistercien. Professus
Artiũ & Philosophiæ Doctor.



MALAGMA.



VGVBRE & funeſtum ſpectaculum, quod implacabile fatum, dira & efferamors, duobus lectiſſimis adoleſcentibus, ſurculis generoſis Reipublicæ Polonæ inſertis, virtutibus & ſcientijs efflorescentibus, gratijs omnibus confertiſſimis, Jllustribus & Generoſis Dominis PETRO & MARTINO TRZEBIENSCIIS Jlluſtriſs. ac Reuerendiſs. Dñi ALEXANDRI TRZEBIENSKI Episcopi Præmisliensis Vicecancellarij Regni Abbatiæ Andreouienſis Adminiſtratoris perpetui filijs è medio ſublatis, in hoc luctuoſo pegmate, & pleno mæroris ſarcophago ante oculos noſtros propoſuit, omnium corda graui ſauciat dolorè, & lachrymas excitat vberrimas. Quis enim ſiccis poterit ſpectare oculis, diram & inexorabilem Lacheſim, quæ flores nitidiſſimos, Domus TRZEBIENSCIANÆ decora, iuuenes nobiliſſimos, Patriæ olim Ciues integerrimos & prudentiſſimos, acutiſſima falce demeſſuit? Quis animo diſſimulare poterit dolorem, cùm duo ſimul fratres dulciſſimi, Jlluſtriſsimi Parentis ſui ſolatia, quibùs ſupremum exhibemus officium, intrà nouem dies mortis acerbæ telo ferociſſimo transfixi interierint? Obierunt duo glorioſi adoleſcentes, patriâ vix ſalutatâ poſt reditum ab nationibus exteris, atq;

ex ſcæna circoq; Reipub. Polonæ & orchæſtra Regni totius eminentiſsima tragico funere ſublati ſunt & ſubducti, quis non ingemiſcat? Extincta ſunt ſydera nitidiſſima, lumina clariſſima, quæ virtutum ſuarum radijs orbem Polonum colluſtrare cæperunt præproperè extincta ſunt; Oculi Jlluſtriſs. ac Reuerendiſs. D. Vicecancellarij Regni Antiſtitis ſolliciti *Contenebrati ſunt, cecidit Corona capitis*

Thren: 5. domus inclytæ TRZEBIENIANÆ, quis poterit temparare à luctu? quis peracribus ſollicitudinum aculeis non conficietur? Jllud præſertim exactiùs penſitans, quàm ſit miſera & lubrica humanæ felicitatis commutatio, quàm fragiles & inanes ſpes hominum & falſæ expectationes. *Nihil enim eſt in humanis rebus ac negotijs præter vmbram auramq; leuiſſimam* ait Philo. Cuius tandem ſenſum grauiſsimus non affliget mæror, quin multas effundat lachrymas? vt potè Deo O. M. præmonente,

Eccle: 38. qui lachrymis funera proſequi & ornare mandat. *Fili* (inquit) *produc lachrymas in mortuo, & quaſi dira paſſus incipe plorare & non deſpicias ſepulturam illius.* Summis effertur laudum præconijs à S. Paulino Pamachius, qui pulla veſte, vultu mæſto, & profuſione lachrymarum occaſum & funus cariſſimæ ſuæ coniugis cohoneſtauit.

Epi: 35. *Quam nec vacuam (inquit) fletibus comitatus es primùm claro funeri iuſta perſoluens, piis lachrymis & largo charitatis rore religioſas exequias honoraſti, itaq; iſtius pietatis opus in te laudabo.* Neminem ſiquidem inuenire licet, qui non mediocrem rerum & fortunarum iacturam, precioſiſſimi margariti vel ornamenti inæſtimabilis amiſſionem non doleat, & non ſentiat animi perturbationem. Nemo eſt qui fratris ſui dilectiſſimi, filij amantiſſimi, Mæcenatis ampliſſimi, Patroni benigniſſimi, aut ſocij fideliſſimi mortem non deploret. Magnus ille Alexander mortuo Epheſtione, quem magna fide coluit, tàm acerbè mortem ami-

tem amici sui integerrimi tulit, vt propugnacula vrbis diripi, parietes palatiorum dirui, tecta domorum deici, plerosq; gregarios homines interfici, ad mæroris & veri amoris argumentum iusserit. Sed & magni quiq; viri, Imperia potentissima, Regna opulentissima, diutino tempore optimos & probatissimos Heroas, Ciues Reipub. vtilissimos, subitò fato ereptos tristi squalore & lachrymis irriguis luxerunt. En ecce in præsentiarum proponitur nobis triste spectaculum, plena doloris imago, Jllustriũ & Genorosorũ DD. TRZEBIENSCIORVM, quos inexorabile fatum, in ætate floridissima, Jllustriss. Dño Patri mæstissimo, sororibus dolore plenis, amicis & consanguineis squalentibus, & Regno Poloniæ, eripuit & subduxit. Extincti sunt illi qui chari & honorati omnibus, sapientiæ amantissimi, seniorum reuerentes, æquales diligentes, venerantes præceptorum, Ciuibus & hospitibus mitissimi, omnibus blandi, & ob aspectus gratiam, affabilitatem, humanitatem, ac cæteras præclaras virtutes, iucundi & multum amabiles extiterant. Quomodo ergo non indolebimus? quomodo lachrymas suapte natura erumpentes inhibere poterimus? Expostulat id à nobis naturæ nostræ condicio; *dolere siquidem morderiq; ex interitu filij* (ait Plutarchus) *fontem habet, qui non est in manu nostra naturalem mæstitiæ.* Sors vitæ nostræ miserabilis in qua nati sumus hoc ipsum desiderat, exempla deniq; pientissimorum hominum nos prouocant, vt Jllustrium Iuuenum, pietate, eruditione, prudentiâ insignium funera, dolore & lachrymis ceu margaritis nitidissimis condecoremus, lamentis & suspirijs exequias pietate plenas prosequamur. Opus istius pietatis in vobis laudabo ait S. Paulinus. Sed cum omnes mæstos animos, & corda dolore pressa circumferentes, vberrimas lachrymas profundere nitimur, & in immensum doloris Oceanum

Oratione Consol: ad Apollo:

Oceanum prouehimur, tuba cælestis, Magni Doctoris qui in tertio cælo mysteria hausit cælestia, insonat, cum ait.
1 Thessa-lo: 4. *Nolumus vos ignorare de dormientibus vt non contristemini.* Diuina quoq; sapientia, autor ille naturæ DEVS abstinen-
Ecclesi: 22. dum à mærore & ploratibus admonet. *Modicum (inquit) plora super mortuum, quoniam requieuit.* Quocirca ego, tametsi probè nouerim ingenij mei imbecillitatem, pietatis tamen & non ostentationis gratiâ testandæ, rudi mineruâ & longe inferiore quàm merita & virtutes Jllustriũ Iuuenum requirunt (silentium enim in tantorum Iuuenũ occasu rumpendum censui) malagma exhibere, dolorem leuare, & vim lachrymarum temperare constitui.

Onus Æthna grauius & humeris meis impar suscepisse me munus arbitror, dum vulneribus cordium, dolori acerbissimo, qui animos transfigit mederi, lachrymarum rorem detergere proposui. Non enim virium mearum id negotium esse animaduerto, contra aquarum siquidem impetum niti, ventorum vehementiam inhibere, atq; adeò ipsi naturæ repugnare videbor. Magnæ perfectionis & miræ autoritatis vir, decus Sacri Ordinis Cistercien. Abbas Claræ vallis Ecclesiæ Doctor mellifluus, Sanctiss. Pater Bernardus, tametsi aduersa pati, & quæuis fortunæ ferocientis tela, animo lætissimo, & vultu renidenti excipere consueuisset, non tamen poterat à lachrymis & lamentis abstinuisse, nuntio tristi de morte fratris sui Gerardi accepto, sic enim lamentatur & cordis interiorem
Sermo: 25 in Cant: prodit dolorem. *Plango (inquit) primùm super meâ ipsius plagâ, atq; huius iacturâ domus, plango deinde super pauperum necessitatibus, quorum Gerardus Pater erat, plango certè & super vniuerso statu nostri ordinis, nostræ professionis, qui de tuo Zelo, consilio, & exemplo non mediocre robur capiebat, plango postremò si non super te propter te tamen.* Difficile namq; est dissimulare dolorem vbi quis grauem persenserit ia-
cturam,

cturam, vel amiserit quod tenerrimè dilexit. Memini quid Philosophus Euphrantes dixerit, amici sui solatio destitutus. O Philosophia quàm onerosa sunt tua præcepta, amare iubes, & si quis amisit quod amabat, dolere prohibes. Enimuerò animi Christiani robur, & dogmata SS. Patrum, quæ maiorem vim, quàm Mundi huius sapientia, habent, corda mærentia, inclamante Diuo Paulo, *vt non contristemini*, vincant est necesse. *Non enim ad ferendas leges in vitam ingressi sumus, sed obtemperaturi gubernantium cuncta Deorum sanctionibus, fatiq; & prouidentiæ, scitis* ait Plutarchus. Vnde lex communis naturæ, atq; adeo ipsius autoris rerum omnium & effectoris DEI, quam etiam potentissimi mundi istius Monarchæ pati, & subire coguntur, hortatur, vt illud quod impossibile est euitere, animo tranquillo excipiamus. *Statutum siquidem est omnibus hominibus semel mori.* Jacta alea, lata sententia. Celerrima & fortissima est fati executio, omnium Regnorum & Imperiorum peragrat limites, vbiq; vela explicat, vim suam exerit, adeò, vt nemo reperiri possit, quantumuis sit innocentissimus, quantumuis robore valentissimus, qui regimen diræ mortis declinare, aut quauis ratione impedire queat. *Regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysem etiam in eos qui non peccauerunt.* ad Romæ 5. Cum Darius Rex coniugis suæ mortem deplorasset, nec lachrymas, & lamenta cohibere vellet, Democritus Philosophus solaturus Regem, paciscitur se à morte ipsam reuocaturum, si tres viri illi statuerentur, qui nunquam lugubrem deferrent vestem, nec vnquam amicorum suorum, vel quorumuis sanguine iunctorum mortem lugerent: quæsiti sunt Principis mandato eiusmodi viri, & cùm inueniri non possent, Philosophus sic Regem affatus est. Vide Rex, quàm ineuitabilis sit omnibus fati necessitas, nefas est deflere, quod nefas est euitare. Spectemus quæso attentiori oculo

ri oculo vniuersa mundi Regna, peragremus saltim Regni istius & orbis Sarmatici fines, non facilè, vt mea fert sententia, inuenire poterimus vel vnicum, qui domus suæ iacturam, consanguinei sui mortem calamitosam non deplorarit. Deflet hæc vel illa domus inclyta, & nobilissima prosapia, insignem iuuenem morte sublatum immaturâ, qui olim parentibus solatium, domui ornamentum, Reipub. decus & præsidium erat allaturus. Ast lachrymas temperat, dolorem leuat, communis & ineuitabilis fati necessitas. Si necesse est (ait Socrates) semel vt anima à corpore separetur, decet virum fortem, in eiusmodi discrimine, non lachrymis & luctibus indulgere, sed forti animo, communem hanc fati necessitatem ferre. Fateor quidem nos non esse ex rigido chalybe vel adamante conflatos, quin casibus humanis non ingemiscamus, instabiliq; fortunæ alea ob oculos proposita non commoueamur: sed quia homo nihil aliud est, secundum Aristotelem, quàm infirmitatis exemplum, temporis præda, fortunæ ludus, ruinæ imago, inuidiæ & calamitatis scopus; ideo meritò fati acerbitatem, æquiore animo ferre, & lachrymas temperare debemus, cum deflectere aliorsum, ac ne sanguineis quidem lachrymis, mortem quam congenitam nobis esse videmus, auertere cuiquam sit concessum. Præclarè Comicus superuacaneas prædicat lachrymas.

Si luctus eriperet grauis nobis mala.
Lachrymansq; post dolere semel desisteret,
Auri parandæ lachrymæ precio forent.
Nunc non morantur res nec respiciunt eas
Verum viâ incedent eadem, fleueris
Necne ô here. Quid prosunt igitur? planè nihil.
Sed fructum habet mæror vt folia arbores
Lachrymas.

Et quam-

Et quamuis calamitosi homines luctum & lachrymas veluti munus quoddam sibi oblatum reputant, (hoc enim solamen hominibus afflictis ipsa natura porrexit, vt multis lachrymis è cordibus egererent dolorem) generoso tamen & infracto animo, sortem humanæ conditionis ferre, & fortitudinis insigne exhibere specimen, multò gloriosius est & laudabilius argumentum. Jmmortalem sibi laudem peperit Pericles ille insignis Orator, (qui ob dicendi & prudentiæ incomparabilem vim, cognomen Olympij adeptus est) quòd postquam ambos filios suos Parolum & Xantippum (quos Protagoras iuuenes fuisse formâ præcellenti affirmat) intra octo dies extinctos accepisset, miserabilem casum constantissimè tulerit, & animi solitam retinuerit tranquillitatem: quæ res tanto viro, maximam inter homines peperit admirationem, & ad gloriam quâ quisq; probus facilè ducitur profuit mirificè. Nouerat enim prudentisimus vir, nihil noui filijs suis accidisse, vt pote cum sciret eos mortem præsentem in visceribus intimis circumtulisse. Ecce duo insignes adolescentes, singulari formâ præditi, lumina domus TRZEBIENSCIANÆ, Magni Periclis Sarmatici Jllustris. ac Reuerendis. Dñi EPISCOPI PRÆMISLIEN: Vicecancellarij Regni filij PETRVS & MARTINVS intra dies propè octo, è statione vitæ istius miserabilis, ad immortalitatis palmam euocati sunt, inq; floridâ ætate, immaturâ morte prærepti, tanquam flores succisi exaruerunt. Dabis veniam Jllustris. ac Reuerendis. Dñe Antistes, Pater mæstissime, si verbis Sopatris Te compellauero. Perdidisti animi tui dimidium, vitæ subsidium, annorum lactamentum, laborum adiumentum, fortunæ vtriusq; solatium. Quomodo ergo casum & sortem dulcissimorum filiorum, carissimorumq; pignorum iacturam tulisti? Compertum habeo, quòd mæstissimo de morte

 Generosi

Generosi PETRI natu senioris filij, nuncio accepto, in-
Iob 1 Cap credibili patientiâ, pacato vultu, ingeminaueris: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Vnde persuasum est cuiq;, quòd etiam vtriusq; filij fata, domus iacturam, atq; adeò tuam ipsius calamitatem, Diuinæ commisisti voluntati, & fati necessitatem considerans, fortior quàm Pericles ille euasisti. *Quid enim est miraculi* (ait grauissimus Plutarchus) *si quod sectile est sit dissectum: si eliquatum quod liquescere potest, si combustum quod aduri, si corruptibile sit corruptum.* Sed quid ego dolori temperando, & lachrymis abstergendis à longe petita adhibeo leuamina? Ipsimet Jllustres & Generosi Iuuenes, qui à nostro conspectu, dum vitæ fabulam peragerent, sublati sunt, cordibus mæstissimis, pharmacum apponunt gratissimum, & dolori salutarem ministrant medicinam. Martia enim proles, ac generosa propago, virtutum suarum splendore, & honestissimarum actionum ornamentis, quæ immatura quidem, at felicissima consecuta est mors, Jllustris. Domini Parentis sui mærorem, afflictissimorum amicorum, & omnium qui tristitiam præseferunt, mitigat dolorem. Relucebant in hisce magnanimis adolescentibus, virtutes, & insignes animi dotes, Jllustrium & Generosorum Dominorum TRZEBIENIORVM auorum abauorumq; suorum, quos virtutum imitatione referebant, nimirum NICOLAI proaui, STANISLAI aui, virorum bellicâ virtute clarissimorum, quorum promerita Serenissimi Poloniæ Reges, SIGISMVNDVS I. & SIGISMVNDVS AVGVSTVS, iustis honoribus illustrarunt, & magnificis laudibus prosecuti sunt, quorũ memoria in omnium ore Ciuium Poloniæ semper reflorescet, semper innouabitur. Referebant præcipuè & repræsentabant eximiâ spe Magnum illum MARTINVM

TRZE-

TRZEBIENIVM equitatus Regij Centurionem ac Præfectum, abauum suum bellicosissimum virum, & disciplinæ militaris peritissimum, qui Regnante SIGISMVNDO I. ad annum 1520. vt refert Vapouius, duo Tartarorum millia in Regni fines irrumpentia, exiguâ manu militum aggressus, profligauit, reliquos in fugam vertit, omni prædâ & spolijs opimis ab hostibus detractis. Siquidem & hi Jllustres Iuuenes, ad nationes exoticas destinati, exercitatione corporis, in scholâ palæstritarum peritissimos quosq; Palæstritas æquabant, dum breuissimo temporis spatio, hastam, galeam, scutum gestare, vibrare ensem, imitari quosq; exercitatissimos, etiam pugnæ grauioris speciem exercere didicerunt. Relucebant in ijs præclara quæq; virtutum decora & ornamenta ab Jllustrissimo Parente medullitùs instillata. Et quidem non mearum virium est, nec hoc tempus poscit, vt vel leuissimè raras virtutes, animi magnitudinem, prudentiam incomparabilem, dexteritatem in agendo, Jllustrissimi Domini piè defunctorum Iuuenum Parentis attingam: singula hæc & multò maiora D. SIGISMVNDVS III. REX in Jllustrissimo Domino admirabatur, & Honoribus ac Dignitatibus illustrauit: Serenissimus verò VLADISLAVS IV. feliciter regnans, ac vniuersa Respublica, imo externæ nationes venerantur. Vel ipsi amplissimi Honores virtuti ipsius & promeritis, quibus Patriæ aras & focos, plurimùm bello & pace iuuit ac illustrauit, debiti, testantur, cum in Areopago Sarmatico, Senatoriam sedem, Pontificiam dignitatem, & summum Procancellariatus Regni munus, à Serenissimo Rege virtutū arbitro & æstimatore sapientissimo, cum omniū applausu & magnificis acclamationibus est consecutus. Meretur profectò Jllustrissimus Dominus Magnorum & insignium virorum nomina, quos imitatione expressit,

 imò

imò infinitis ſuperat & tranſcendit paraſangis. Ergo non peccauero Jlluſtriſsime Domine, ſi Te Numam Pompilium ob templorum & Diuorum venerationem, appellauero, Iulium Cæſarem, quòd hoſtibus facilè ignoſcere conſueueris: Octauianum quòd populo vniuerſo ſis charus, Alexandrum Magnum ob ſummam in omnes, maximè verò literarum cultores beneficentiam, Hectorem Troianum quòd ſtrenuus & animoſus bellator fueris, Epaminondam Thebanum quòd tàm præclarè viribus vſus ſis: ſi deniq; prudentiſſimi & eloquentiſsimi Vlyſsis nomen tibi dedero, quòd tanta pericula adieris, præcipuè in legatione à Sereniſsimo VLADISLAO IV. ad Amuratem Turcarum Tyrannum demandata ac feliciter ſuſcepta. Hoc enim in munere omnia animo excelſo & heroico, prudenti ſuadâ, mirâ dexteritate, conſtantiâ infractâ, cum honore Sereniſsimi Regis, & Reipub. Polonæ dignitate, & cum omnium admiratione ſuperaſti. Sed non eſt propoſiti mei, nec temporis præſentis, laudes tuas Jlluſtriſsime Domine canere, quas omnium calami & linguæ magnificè ſemper prædicabunt, & nulla vnquam ætas conticeſcet. Eò dico, & illud adfero, quòd talis ac tanti Parentis Jlluſtres filij, in florentibus annis, quantum per ætatem licuit, magnarum virtutum ſpecimina exhibentes, non degeneres ſe à Te Jlluſtriſsime Domine, à proauis, & auis bellicoſiſsimis, à domo & familia ampliſsima DD. NARAIOVIORVM & OŻGARVM à quibus deſcendebant materna domo, lucu-lentiſsimè teſtabantur. Admirabantur domeſtici, videbant Ciues Patriæ, magnæ virtutis adoleſcentes, atq; in ſpem illorum expectatione erecti, Reipub. felicitatem, domui vetuſtiſsimæ TRZEBIENSCIANÆ claritatem, ominabantur, quòd ex vultibus eorum iucundiſsimis & obtutibus ipſis omnium bonorum ſemina, virtutum certiſsima

tiſsima indicia, gloriæ ſeges ampliſsima clariſsimè dignoſceretur. Intuebantur pleriq; ſingularem eorum indolem, ſublimem rerum notitiam; raram prudentiam quam etiam exteri, apud quos gratiâ ſcientiæ & eruditionis conquirendæ commorabantur, demirabantur, & magnos illos olim in Repub. Sarmatica fore augurabantur. Licuit cuiuis inſpicere comitatem eorum & innatam humanitatem, modeſtiam, manſuetudinem, morum integritatem, ob quarum virtutum dona, omnium beneuolentiam & amorem ſibi conciliarunt, Jlluſtriſsimo Domino Parenti, inclytæ domui TRZEBIENSCIANÆ ſolatium; reliquis admirationem attulerunt. Nimirum, ab ineunte ætate, ab Jlluſtriſsimo Domino parente eo tempore officium & munus Succamerarij Terræ Leopolienſis gerente, & lectiſsimâ olim Annâ Magnifici OŻGA Venatoris Terræ Leopolienſis filiâ, religioſiſsimâ & pientiſsimâ Matre ſuâ, ſanctè educati & alti, pijſsimè inſtituti, à Præceptoribus autem probis & eruditis ad virtutem primùm & pietatem edocti, in ſcientijs quoq; non mediocres fecerunt progreſsiones. Ingenij namq; mira felicitas in eis & acumen, in percipiendis diſciplinis omnibus celeritas, in retinendis facilitas quam in defeſſus labor iuuabat, atq; incredibilis quædam naturæ vis & præſtantia manifeſtiſsimè eluxit. Quid ego eorum mores integerrimos prædicem? quid feſtorum dierũ ieiuniorumq; intemeratam obſeruantiam, in nationibus etiam exoticis ſeruatam commemorem? Vel ipſe feruor & deuotio erga Auguſtiſsimam cælorum Reginam Deiparam Virginem MARIAM, dum agerent in medio nationis prauæ atq; peruerſæ (Hæreticos intelligo qui nec inter ſemetipſos conueniunt, ſed omni vento doctrinæ quaſi turbine exagitati circumferuntur) immutata, teſtatur, quâ Heroinam mundi, Patronam ſuam clementiſsimam ita venerati

nerati sunt, vt ne vllam quidem ipsius festiuitatem præterire paterentur, quâ sacro Pœnitentiæ & Diuinissimo Eucharistiæ Sacramento non reficerentur. Suspiciendum illud fuit ac penè stupendum in Generosis & Magnanimis adolescentibus, quòd pietatem & religionem sanctissimam, ac dogmata fidei, ex animo sedulo colerent, neq; ab institutis Ecclesiæ orthodoxæ, cultuq; Dei Ter. Opt: Max: quem ab optimis & religiosissimis Parentibus, ac probatæ vitæ præceptoribus hauserunt, nullis omnino insidiosis assentationibus & illecebris auocari, nec exemplis gentis illius, inter quam scientiam rei militaris, locorum positiones, & rerum diuersarum notitiam quærebant, auelli potuerunt. Et quam à teneris annis cum lacte quodammodo materno pietatem erga Deiparam Virginem MARIAM & cælestis aulæ incolas hauserunt, ad extremum vsq; halitum constantissimè retinuerunt. Nec mirum. Non enim deliciarum lenocinia, non mundi fallacis vanitates, & inanes ventos captabant, non ludis indulgebat, non turpi otio Epimenidis somnum indormientes, languebant, quemadmodum pleriq; in eiusmodi ætate solent: sed in colligendis prudentiæ & eruditionis præsidijs & ornamentis, in Academijs celeberrimis, inter homines ingeniosissimos, sine omni molestia, singulari cupiditate discendi incitati, omnem cogitationem & studium collocarunt. Quippe proposito exemplo Jllustrissimi Domini Parentis sui, ad illum respicientes, expectationi & spei magnæ, quæ in eis affulserat, respondere volentes, splendori generis lumen adhibere sapientiæ procurarunt, nec vnquam se ab honestissimis abducebant studijs, nisi aliorū studiorū gratiâ. Reliquum etenim tempus armorum exercitationi, & consuetudini eorum, à quibus aliquam eruditionem quærere possent impendebant, nihilq; eis maiori fuit curæ, quàm ne quis præterlaberetur dies,

dies, quo nihil noui addiſcerent, aut nihilo præſtantiores inuenirentur. Et quidem ſecundo rerum ſine vlla offenſione curſu, ſcopum deſtinatum attigerunt. Cum enim pietatis & prudentiæ, quæ à bonâ profluxerunt educatione, præſidijs firmati fuiſſent, facilè periculoſa blandiciarum vada, vitiorum Syrtes, & voragines, quibus pleriq; irretiri ſolent, euitarunt; virtutum verò felicem ingreſsi ſemitam Generoſi adoleſcentes, clementes, & benigni, temperantes, moderati, pudici, & modeſti euaſerunt. Vidiſſes in Jlluſtribus hiſce & præclaris iuuenibus, fratribus dilectiſsimis, magnam animi demiſſionem, ſingularem in omnes obſeruantiam, in rebus arduis virilem conſtantiam, in aduerſis firmam patientiam, & animum in omnibus actionibus excelſum. Admirari poſſes quòd præteritorum memores, præſentium ſagaces indagatores, futurorum acuti coniectores, vtilium publicè priuatimq; diligentes, & oculatiſsimi in omnes partes fuerint prouiſores. Ipſamet gens Italorum ingenioſiſſima, demirata eſt excellens ac propè Diuinum eorum ingenium, ac dotes corporis & animi præcellentes. Italiam ſiquidem primò, regionem virorum eruditiſſimorum feracem adierunt, vbi in honeſtiſſimarum artium comprehenſione, & præcipuè earum, quæ Reipub. olim forent ſalutares immorati ſunt: vnde omni ſcientiarum copiâ abundantes, floribus virtutum exornati ſoſpites redierunt. Iteratò ad remotiores Regnorum partes in Gallias & maritimas regiones voluntate Jlluſtriſſimi Domini Parentis ſui deſtinati, vt non modo Diuinarum & humanarum rerum cognitionem perueſtigarent; (nihil enim tàm inuolutum & reconditum in naturæ receſſibus reperiri potuit, quod illi mirabili bonitate ingenij non comprehendiſſent) verùm etiam vt à magi-

ſtris peritiſſimis rei militaris capeſſerent rationes. Nec fruſtratum ſpe ſuâ Jlluſtiiſſimus Dominus parens ſe eſſe recognoſcebat, in laudatiſſimis enim & honeſtiſſimis occupationibus; exercitatione corporis, in ſcholâ militari inter Nobiliſſimos Iuuenes & exercitatos palæſtritas, ita tempus inpenderunt, vt glorioſi olim futuri eſſent bellatores. Cum enim ab his duabus artibus & diſciplinis, quæ maxima poteſt eſſe dignitas & vtilitas, non modo perſonæ eas poſſidentis verùm etiam Reipub. amplitudo, profluat, totaq; vis & robur cuiuſq; Imperij contineatur & amplificetur; quid mirum ſi tàm præclaras artes, à primis ferè annis, quaſi binas nutrices, exempla maiorum ſuorum, auorum atauorum, atq; adeò Jlluſtriſſimi Domini Parentis ſui ſecuti, tenuerunt, complexi ſunt, & arctiſſimè adamarunt? Et meritò ſanè atq; optimo iure. Scientia ſiquidem rei militaris, pacis & publicæ tranquilitatis baſis eſt, & fundamentum firmiſſimum: cuius beneficio illud habetur, quòd ſcilicet Ciues & incolæ Reipub. patriâ, Regno, aris & focis, liberis, amicis, cæteriſq; omnibus rebus, quæ ad vitæ noſtræ ſuſtentationem faciunt, vel oblectationi, & alijs commodis humanæ mortalitatis deſeruiunt, iucundè & feliciter perfruamur. Quod quidem ita clarum eſt vt nullâ egeat probatione. Ciuis enim patriæ amantiſſimus, ſi rei militaris ſcientiâ fuerit inſtructus, non modò ſibi gloriæ monumenta, ſed Reipub. quoq; quæ poſſunt eſſe maxima & ampliſſima commoda, armis acquirere ſolet: quibus etiam hoſtes profligare, iniurias Reipub. illatas reprimere, amicos & patriam tueri, fines imperij dilatare, hoſtem è limitibus patrijs expellere, vim omnem propulſare facillimè poteſt. Ex literis autem honeſtiſsimis tanquam ex fonte & ſcaturigine indeficienti, omne de-

cus

cus & ornamentum, Reipub. fælicitas, morum pulchritudo dimanat copiosè, Quis enim nesciat eam esse literis inditam vim & facultatem, vt harum beneficio, humanarum & Diuinarum rerum scientia promoueri, leges vtilissimæ statui, iura Ciuitatum describi, morum instituta proponi, res præclarè gestæ ne cum tempore intereant, & alto silentio atq; obliuione sepeliantur, futuræ posteritati relinqui, atq; conseruari quam diligentissimè possint? Hæc duo Generosi Iuuenes Jllustrissimi parentis sui monitis, & per se diuinitùs ita sentientes, tanto aggressi sunt studio, ita se ijs rebus persequendis tradiderunt, vt viros futuros perfectissimos dicere nemo vnquam dubitaret. Sed vt non satis maturos ab eis fructus Respub. hæc Sarmatica florentissima, patria dulcissima, Jllustrissimus Parens, domus inclyta & auita TRZEBIENSCIANA, OŻGOVIANA, NARAIOVIANA, perciperet, fatorum iniuria (si fas ita dicere) factum est: ne inquam Patria amici, sanguine iuncti, cæteriq; qui ob insignes dotes istos suspiciebant adolescentes, fæcundam referrent felicitatem. Si enim admirandum illud ingenium, animi magnitudo, rara fortitudo, multarum rerum experientia, in ætate florescente, omnium oculos perstrinxit: quales tandem illi viri, quales senes forent, si altioris ætatis annos à fatalibus telis immunes contigissent? Si huiusmodi naturæ, ingenij, & exercitationis præsidijs solidiores anni, consiliorum grauis maturitas, accessisset? Quo fuissent amore in Patriam, vel ipsi animi eorum excelsi testabantur. Omnia etenim sua consilia, dicta, facta, scientiam & eruditionem solidam, exterorum peragrationes, Principum virorum aditus, eo susceperunt animo, vt aliquando patriæ ornamentum, Ecclesiæ præsidium, Jllustrissimo Domino Parenti solati-

 um, ami-

um, amicis atq; Familiæ Nobiliſſimæ honorem, & emolumentum ſingulare conferrent. Sed heû! vbi iam omni genere ſcientiarum, facultate dicendi, ſcribendi ſubtilitate & acumine inſtructi, præclarisq; ingenij & naturæ dotibus ſupramodum ornati eſſent, ex locorum maritimorum & aëris intemperie, in exoticis nationibus degentes, diuerſisq; itinerum defatigationibus ac mutationibus, catharros graues, tandem καχεξίαν ſeu macrorem contrahunt, quæ vis morbi, curâ & ſollicitâ vigilantiâ Jlluſtriſſimi Parentis, Medicorum peritiſsimorum conſilijs, omnibusq; adhibitis remedijs nullatenus potuit amoueri: ſed Jlluſtribus adoleſcentibus mortalis finem, æternæ verò & felicis vitæ ~~finem~~ initium dedit. Enimverò licet fatali neceſsitate, & ſæua Parcarum manu tàm Jlluſtres adoleſcentes, nobis ſint intercepti, & ſpes omnes, ſolatium, expectatio Jlluſtriſsimi Domini Parentis, domus Nobiliſsimæ, & Patriæ chariſsimæ præciſæ; vulneris tamen acerbitatem ſanare, & ægritudinem quâ animi noſtri affligantur, illud vnicum leuare poteſt, quòd omni genere virtutum inſtructiſsimi, Sacramentorum pharmacis Diuinis præſeruati, virorum Eccleſiaſticorum & ſpiritualium Patrum doctrinis ſalutaribus præmuniti, atq; adeò DEI glorioſiſsimi auxilio freti, Diuorum Tutelarium cumprimis Beatiſsimæ Virginis MARIÆ, cuius deuotiſsimi famuli ſemper extiterant, precibus glorioſis fulti, ad palmam immortalem capeſſendam tranſierint. Exiguum fortè quiſpiam vitæ curriculum tàm inſignibus adoleſcentibus naturam circumſcripſiſſe incuſabit? Aſt
Sapien: 4 *conſumati in breui, impleuerunt tempora multa.* vt ait Diuina ſapientia. *Senectus enim venerabilis eſt non diuturna neq; numero annorum computata. Cani ſunt ſenſus hominum & ætas ſenectutis vita immaculata.* Neq; enim qui plurimum Cythara

thara cecinit, aut causas dixit, aut nauem gubernauit, sed qui rectè suo functus est officio commendatur. Rectum autem non in temporis longinquitate, sed in virtute & competentia locandum tempestiua, hoc enim fortunatum & beatum habetur, quod cum virtute, pietate, temperantia, magnanimitate coniunctum est. Quid quòd mors eorum felicissima, quam etiam religiosissimi quiq; viri meritò exoptassent, vitæ eorum piè & religiosè transactæ certissima adfert testimonia, quod grauioribus doloribus pressi, iam ad fabulæ suæ catastrophen accedentes, sacra mysteria ritu Christiano expetierint, & venerabundi sumpserint, quòd se totos Deo benignissimo, religiosis verbis & pijs suspirijs commendauerint, quòd in eius clementia & misericordia cuius non est numerus, fiduciam suam collocauerint. Nonnè hæc singula virtutum eximiarum, quarum splendore coruscabant Jllustres adolescentes, ita produnt argumenta, vt nullius eloquio vel præconio indigeant? Interfui ego Cracouiæ, dum Jllustris Dominus MARTINVS TRZEBIENSCIVS vltimum ageret spiritum, nèc sine lachrymis, pia ipsius vota, exactam ad futurum iter vitæ immortalis præparationem, SS. Sacramentorum desiderium, & deuotam perceptionem videre potui. Liceat mihi hoc loci vel illam solam, ipsius mortis felicis indicem, vocem referre (multos enim præclaros actus eius: & dicta digna relatu tacitus prætereo) LÆTVS (inquit) MORIOR. O quam rara & inaudita vox in ore adolescentis moribundi! Vicit profectò animi magnitudine Generosus hic adolescens Iacobum Patriarcham, qui dum gauderet aspectibus filij sui Iosephi, in hæc prorupit verba. *Lætus moriar, quia vidi faciam tuam.* Quæ quidem verba cum iam annorum esset centum triginta, Gene: 46.

idq; non

idq; non in præſenti ſed in futuro tempore protulit. At noſter MARTINVS TRZEBIENSCIVS imitatus fortitudinem Tutelaris ſui, quem ſanctiſsimè coluit D. MARTINI, cum exceſſiſſet annum vigeſimum primū, aureo vitæ tempore, deſiderio vitæ longioris abiecto, amore honorum, diuitiarum & multarum poſeſsionum, ad quæ certiſsima ſpe vocabatur, exſibilato, intrepidè ingeminabat. Lætus morior. Tandem cum mortem ſibi adeſſe prædixiſſet; indicauit ſe iam reſolui, moxq; dictis verbis Pſalmographi *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, vocem interclusit, & animam puram, Deo placentem, operum bonorum ſatelitio cinctam, à quo acceperat reddidit Saluatori. Vnde nemini dubium eſſe poteſt, quin vnà cum Jlluſtri & Generoſo PETRO Fratre ſuo dulciſsimo, pietatis, quam felix & lætum ſecutum eſt lethum à Deo Opt. Max. acceperit remunerationem. Refertur Cleobis & Bitonis iuuenum inſignium Matrem, ſacerdotem fuiſſe Iunonis, hæc cum die feſto inſtante, ad delubrum Deæ veheretur, & iumenta currui iuncta concidiſſent ſubitò exanimata, filij quod probos decebat, hoc ſubierunt iugum, currumq; vna cum matre, loris cincti ad locum ſacrificijs deſtinatum deduxerunt. Supramodum exultans mater, precata eſt cum lachrymis Iunonem, vt eis optimum quod dari poſſet mortalibus, daret. Cui reſpondit Diua, ſe ratas habere illius preces, & votis annuere. Tale autem præmium & remunerationem, pro eximia pietate, illi duo filij, receperunt, quòd poſtquam epulati cum Matre, tandem cubitum conceſsiſſent, mane inuenti ſunt mortui. Duo Jlluſtres & Generoſi Iuuenes, Jlluſtriſsimi Domini Vicecancellarij Regni, Summi Dei Pontificis, obſequentiſsimi filij, ad omne imperium & nutum Jlluſtriſsimi Domi-

mi Domini Parentis promptiſsimi, à vero Deo Opt. Max. hoc virtutum ſuarum & pietatis præmium, hanc adepti ſunt remunerationem, quòd ipſius cæleſtis Imperatoris voce, ex vitæ iſtiusſtatione, ex Circo Regni Poloniæ ampliſsimo, ad illud immortalitatis Prytaneum ſint euocati, vbi glorioſi Iuuenes, pro meritis & virtutibus quibus effulgebant, fæliciſsimâ Dei præpotentis perfruuntur viſione. Duo inſignes JASTRZEBECII de domo TRZEBIENSCIANA, PETRVS & MARTINVS, virtutum alis ſubuecti, aquilæ magnarum alarum volatibus prouocati, ad ſublimem ſedem Dei, ad olympum cæleſtem, ad palmam immortalitatis euolarunt, vbi quiete feliciſsimâ, & iucundâ beatitudinis poſſeſsione gloriantur. Quis ergo incuſabit mortem eorum præmaturam? quis felicem eorum ex hac miſerabili vitâ grauiſsimè deplorabit transmigrationem? Cum (dicente Friderico Imperatore) ſummum hominis bonum ſit, bonus ex hac vitâ exitus. Mors namq; beata non ſolum quies ærumnarum eſt (vt placet Saluſtio) non tantum malorum remedium, (vt Sophocles ait) ſed etiam via eſt & ianua vitæ immortalis. Non eſt igitur cur immoderatæ triſtitiæ nos dedamus, & ſine modo lachrymas profundamus, cum inſignes adoleſcentes, pietatis eruditionis, & ſapientiæ gloriâ præſtantiſsimos, ſecundum vnam ſui partem, à noſtro conſpectu, à noſtro conſortio ſubductos videamus. Viuunt illi parte ſui potiore, & viuent æternùm, iucundaq; eorum memoria, non ſolùm in animo Jlluſtriſsimi Domini Parentis, dulciſsimarum ſororum, & affinium longè chariſsimorum, verùm etiam Regni totius ſemper innouabitur. Educti ſunt Diuinâ voluntate ex carcere, & ergaſtulo corporis, & in æternam aſſerti libertatem; à morte ad vitam, à cor-

ruptione

ruptione ad securam quietem, à mortalitate ad immortalitatem, ab ærumnis ad felicitatem transmigrarunt, & quidem in flore virentis ætatis. Quid ita? *Placentes Deo*
Sapien: 4. *facti dilecti, viuentes inter peccatores, translati sunt. Rapti sunt ne malitia mutaret intellectum eorum aut ne fictio deciperet animam eorum.* Noluit Diuina Prouidentia tàm decoros adolescentes, omnibus donis cumulatissimos, virtutum ornamentis illustres, omnibus gratissimos, vitæ huius mortalis longâ temporum serie esse particeps, sed continuò illos ex hac peregrinatione & exilio ad patriam vitæ æternæ reuocauit. Nec immeritò. *Placitæ enim*
Sapien: 4. *erant Deo animæ ipsorum, propter hoc properauit eos educere de medio iniquitatum.* Hominum seu potiùs vulgi opinione multis calculis feliciores sunt, quibus longior vita concessa est, quàm ij, qui è viuis, à consortio amicorum morte immaturâ abripiuntur: sed qui rem peniciùs introspexerit, facilè deprehendet isti opinioni falsitatem subesse. Diuina etenim bonitas, ita præordinauit, vt persæpè dilecti Dei famuli, quorum spiritus à terrenis rebus longè remotissimus, arctissimo amoris vinculo ipsi Deo vnitus est, è medio Babylonis educantur, & communi viuentium aurâ priuentur: illi verò quorum opera ipsius displicent Maiestati, diutiùs agunt in terris, vt tandem vel temporis diuturnitate ad meliorem redigantur frugem. Rex populi Israëlitici vir secundum cor Dei, posteaquam de nece & interitu filij sui Absalon, qui manus sacrilegas contra Patrem tetenderat, nuncia tristissima accepisset, in lachrymas solutus, eiusmodi lamentatur verbis: *Absalon fili mi, fili mi Absalon,*
2 Reg: 18. *quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te.* Voluit pientissimus Pater ipse mortem subire, dummodò filio improbo vita longior concederetur. Iam verò mortem Ionatæ

socij sui

socij sui fidelissimi, amici fœderati & inregerrimi, quo nihil vnquam carius aut iucundius habuit, deplorauit quidem, sed vitam suam pro vita ipsius profundere mortisq; discrimen subire non peroptauit. Ecquæ ratio istius rei est? Nimirum Ionatas pietatem Deo debitam semper coluit, parentibus se obsequentem & submissum præbuit: Absalon verò improbitatis & perfidiæ flagitio fædatus, conuictus, damnatus est: idcirco optabat sapientissimus Rex, vt isti longior donaretur vita, illum autem qui portum attigerat fælicitatis, ad vitæ istius perferenda incommoda minimè duxit retinendum. Præclarè admodum S. Ælerdus rem præsentem exprimit, *Pium (inquit) erat velle mori pro impio, vt esset quem pœniteret, esset cui misereretur Deus, ne in æternum periret, at ille translatus ad requiem, non erat vlterius ad hanc miseriam reuocandus.* In specu charit: Lib: 3. cap: 34. Ad te Jllustrissime ac Reuerendissime Domine ALEXANDER TRZEBIENSKI Antistes Amplissime, Procancellarie Regni dignissime mea spectat Oratio, carissima Tua pignora, duo Filij Tui digni Te tanto parente, è gremio tuo fatis erepti, cor tuum paternum graui vulnere sauciarunt, pectus generosum, hac præcipiti & insperata ex hac vita commigratione terruerunt, afflixerunt: verumtamen animi tui ægritudinem, & grauem dolorem, hac consolatione, veluti valido quodam pharmaco, lenias est est necesse, quòd dilecti Filij Tui, magis autem Deo Opt. Max. dilecti & placentes, è medio peccatorum ad ædes sanctorum, à continua defatigatione ad requiem sempiternam, à naufragio ad portum fælicissimæ patriæ sint translati, *Non igitur sunt vlterius ad hanc miseriam reuocandi.* Liceat mihi Te Jllustrissime Domine verbis

 Senecæ

Senecæ compellare. *Ne itaq; inuideas filijs tuis tandem liberi, tandem tuti, tandem æterni sunt.* Æterni vtiq; sunt propter singularem pietatem, cælestium donorum affluentiam, & omnium virtutum congeriem, quæ post funera viuunt, & viuent ætetnùm. Liberi sunt & tuti, credimus enim eos in illa beatorum Ciuium sede, vbi quies est sine impedimento, felicitas sine metu, æternitas sine fastidio conquieuisse. Ad quam æternitatem, dum nos quoq; aspiramus; Jllustres Iuuenes immaturè distractos à nobis, quos sibi cælum consecrauit, solennibus pro more Christiano votis, omnibus studijs, & desiderio prosequimur immortali.

pro Polyb.

Dixi.






Seneca de consolatione ad Polybium.

POTEST & illa res à luctu te prohibere nimio, si tibi ipse renuntiaueris, nihil horum quæ facis posse subduci. Magnam tibi personam hominum consensus imposuit: hæc tibi tuenda est. Circumstat te omnis ista consolantium frequentia, & in animum tuum inquirit, ac perspicit quantum roboris ille aduersus dolorem habeat, & vtrumne tu tantùm rebus secundis dexterè vti scias, an & aduersas possis viriliter ferre, obseruantur oculi tui. Liberiora omnia sunt ijs, quorum affectus tegi possunt. Tibi nullum secretum liberum est, in multa luce fortuna te posuit: omnes scient, quomodo te in isto tuo gesseris vulnere, vtrumné statim percussus arma submiseris, an in gradu steteris.



Bj. 1.14


Biblioteka Jagiellońska
stdr0008219